

In vita S. Amandi, qui tempore Dagoberti, regis Francorum, fuit Episcopus Traiectensis, claruit anno Domini 870, ac Gandenses, Sclavos, Vascones multosque alios ad Christum convertit, narratur quod ea ipsa hora, qua vita functus est, apparuerit S. Aldegundus in gloria circumdatus turba albatorum, cumque illa nesciret quidnam hæc significarent, audivit ab angelo: Vir Dei Amandus, gloriosus ad gaudia cœlestia pertransit. Turba albatorum sunt illi, qui per instantiam prædicationis ejus ascripti sunt cœlo, ac proinde super eos ipse princeps in æternum apparebit. Nam ejus discipuli illustriores fuere S. Landoaldus, S. Bavo, S. Amantius, S. Gertrudis, S. Maurontus, S. Andreas, S. Florebertus pluresque alii. Itâ habet eius Vita apud Surium, die 6 februarii.

SUPER OMNIA BONA SUA CONSTITUET EUM. — Græce, *super omnia quæ ipsius sunt*, ut vertit Syrus. « Bona » Dei sunt duplicia, scilicet primo, externa et creata, ut cœlum, terra omnesque creature iis contentæ: ita Origenes; secundo, interna et increata, ut sunt immensa ejus majestas, bonitas, suavitas, sapientia, potentia, honor, gloria cæteraque ejus attributa, tum essentialia, tum personalia, ut sunt paternitas, filiatio et spiratio Spiritus Sancti. Deus enim est oceanus, uti rerum, ita bonorum omnium; super utraque constituit Deus fidelem servum, puta Episcopum et Pastorem, quæ faciet eum quasi dominari, non tantum creaturis omnibus, sed et bonis omnibus immensis et infinitis quæ Deus in se continet, ut cum Deo ipsis fruatur, beatur et glorificetur in æternum. Si enim Jacob luctans cum Angelo Dei, eumque valentem vincens, dictus est Israel, id est dominans Deo, Genes. XXXII, 28; multo magis beati Episcopi sua virtute vincentes quasi Deum, vocabuntur eruntque Israelites, id est dominantes Deo, « ut eterna hæc præmia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia, » ait Rabanus: quia enim ipsi recte præferunt gregi Dei, hinc meriti sunt, ut bonis Dei, ipsique quasi Deo, ab ipso Deo per miram ejus dignationem, suo quodam modo præficerentur; Deus enim seipsum tradit in possessionem et peculium, juxta illud: « Dominus pars hereditatis mee et calicis mei, » Psalm. XV.

43. SI AUTEM DIXERIT MALUS SERVUS ILLI (id est hujusmodi, constitutus scilicet ab hero super familiam suam) IN CORDE SUO: MORAM FACIT DOMINUS MEUS VENIRE. — *g. d. Si cogitarit Episcopus: longe a me abest dies mortis et judicii, quare utar et abutar vita et officio meo ad omnem luxum et ambitionem. Unde explicans, subdit:*

49. ET CŒPERIT PERCUTERE CONSERVOS SUOS, MANDUCT ET AUTEM ET BIVAT CUM EBRIOSIS, — id est ebrietati deditus; Græca, *cum ebriis*. « Percutere, » scilicet injuste. Nam, ut ait Auctor Imperfecti: « Qui propter justam causam percuit, etiamsi percuit, percute tamen non videtur. Sicut

enim justa ira non est ira, sed diligentia; sic justa percussio non est percussio, sed correctio, » uti pater et præceptor percuit et flagellat suos filios et discipulos, ut corrigant.

Indicat hic Christus Prælatorum duo esse capitula vitia, ex quibus cætera omnia scaturiunt; scilicet audaciam imperiosam et tyrannicam, ac cupiditatem sive studium voluptatum, gulae et luxurie. Hoc est quod Pastores et Episcopos admonet S. Petrus, *epist. I, cap. v, 2*: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non concite, sed spontaneæ secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem glorie coronam. » Vide ibi dicta.

50. VENIET DOMINUS SERVI ILLIUS IN DIE QUÆ NON SPERAT, ET HORA QUÆ IGNORAT. — « Non sperat, » id est non putat, non timet; Græce *ed expectat*, id est non expectat. Sic Virgilius, *I. Æneid.*:

At sperate (id est, timete) decos menores fami atque

Et lib. IV :

Hinc ego si potui tantum sperare (timere) dolorem.

51. ET DIVIDET EUM, PARSYEQVE (sortem et conditionem) EUS PONET CUM HYPOCRITIS: ILLIC ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM. — Pro « dividet, » Græce est *dysserpsit*, id est dissecabit, scilicet animam a corpore in morte et post mortem, animam tradendo gehemæ et demonibus, corpus sepulcro et vermibus. « Dividet, » ait S. Hieronymus, non quod gladio eum dissecet, sed quod a Sanctorum consortio eum separet, *q. d.* Christus talem Episcopum, non solum ab officio suo amovebit, sed et separabit a consortio Beatorum et Angelorum, cœli et Dei, ac tradet diabolo jugiter cum damnatis eruciandum in inferno.

CUM HYPOCRITIS, — id est cum pigris servis, qui quasi hypocritæ ad oculum domini serviunt, alias otiosi: nam extra oculos heri positi, vacant somno et poculis, ideoque mittendi sunt in ergastulum inferni, ubi est locus pigrorum. Sic passim in Proverbiiis « hypocrita » significat impium, qui pigre Deo, sed fervide suis cupiditatibus servit, ut ibi dixi. Alludit ad illud Job. XX, 29: « Hæc est pars hominis impii a Deo. » Et cap. VIII, 13: « Spes hypocritæ peribit. » Et cap. XIII, 16: « Non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. » Et *Isaia XXXIII, 14*: « Conteriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? »

Probavit Christus cuique fideli semper esse vigilandum, ut per bona opera se paret ad certum Domini ad judicium adventum, eo quod dies ejus sit incerta, ne illa ipsum incautum et

imparatum obruat, cum certo damnationis periculo. Probavit id primo, vers. 37, exemplo diluvii, quod sub Noe omnes inopinatio submersit; secundo, vers. 43, per parabolam heri qui vigilat, ut furem lecto et clam irrepentem repellat; tertio, vers. 45, per parabolam servi fidelis et aliter infidelis, quorum ille amolam a domino

recepit præmium, hic acre supplicium; quarto, cap. seq. vers. 1, per parabolam virginum prudentium, quæ acceperunt oleum in lampadibus; quinto, ibidem vers. 14, per parabolam talentorum, quæ herus in servos distribuit, ac cum eis strenua negotiantes gloriose remunerat, pigros vero et otiantes plectit.

## CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit Christus fideles monere et stimulare ad assiduam vigilantiam et bonorum operum studium, ut semper sint parati ad incertum ejus adventum diemque judicii, ut patet ex vers. 12, et ex cap. præced., vers. 42. Quocirca primo, inducit parabolam decem virginum, quinque fatuarum et quinque prudentium, quarum illa carentes oleo exclusæ sunt a nuptiis sponsi, hæc vero admisse, quia oleum habebant in lampadibus. Secundo, vers. 14, inducit parabolam talentorum, quæ herus famulis suis distribuens ad negotiationem et lucrum, rediens deinde ab eis exegit, ac negotiosos præmiis, pigros et otiosos supplicis affectu. Denique, vers. 31, rem ipsam aperit, totamque judicii extremi ideam, ac sententiam tam in impios, quam in pios ferendam, oculis subjicit.

Ultima hæc fuere Christi monita, ideoque prægnantia et efficacit: nam post viduum captus et occisus est, ut patet cap. XXVI, vers. 2. Dixit ergo hæc Christus feria tertia, sive die martis, cum sequenti feria quinta Eucharistiam instituit, et feria sexta crucifixus est. Vide Chronotaxin.

1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes; 3. sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumperunt oleum secum; 4. prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virginibus illæ, et ornaverunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. 10. Dum autem irent emere, venit sponsus; et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. 11. Novissime vero veniunt et reliquæ virginibus, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. 13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 14. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bonæ suæ. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. 17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18. Qui autem unum acceperat, abiens fudit in terrâ, et abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi dominus ejus: Eugene, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui. 22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23. Ait illi dominus ejus: Eugene, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium

domini tui. 24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti; 25. et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est. 26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi : 27. oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. 28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. 29. Omni enim habenti dabitur et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. 30. Et inutilem servum eiecit in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium. 31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae; 32. et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; 33. et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. 34. Tunc dicit rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : 35. esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; 36. nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me. 37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitientem, et dedimus tibi potum? 38. quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus te? 39. aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? 40. Et respondens rex, dicit illis : Amen dico vobis, quando vidistis me, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; 43. hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperuistis me; infirmus et in carcere, et non visitastis me. 44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? 45. Tunc respondebit illis dicens : Amen dico vobis : Quando non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.

Vers. 1. 1. TUNC SIMILE ERIT REGNUM COELORUM DECEN VIRGINIBUS, QUÆ ACCIPIENTES LAMPADES SUAS, EXIERUNT OBVIAM SPONSO ET SPONSAE. — Tunc sponsus non habet Græcæ, nec S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius; legendum tamen est cum Romanis, Syro, Origene, Hilario et S. Augustino, *epist.* 120.

TUNC. — Cum scilicet inopinate redibo ad iudicium, ut omnes pro meritis dijudicem, præmii vel puniam.

REGNUM COELORUM. — Id est Ecclesia militans, quæ tunc futura est triumphans; q. d. Tunc similiter ageat cum fidelibus Ecclesie, perinde ac si decem virgines pararent se ad festum nuptiale, etc. Licet enim reprobi, utpote jam damnati in gehenna non amplius sint membra Ecclesie, tamen quia in hac vita fuerunt ejus membra, ideo ut talia hic inducantur ut iudicentur, sed ita ut per sententiam iudicis ab Ecclesia excludantur et in tartarum relegentur. Infidelium hic non fit mentio : « Quia qui non credit, jam iudicatus est, » Joan. III, 18.

Nota : olim uti et nunc sponso honoris causa addebantur comites juvenes egregii et ornati, sponsæ vero virgines æque sæpe decem numero. Porro, nuptias celebrabant noctu : quocirca sponsus vespere adibat domum sponsæ, ubi honorifice et laute a parentibus sponsæ exceptus, inde sponsam in ædes suas, aut, si illæ angustæ forent, in amplam convivii nuptialis domum deducebat, ibique nuptias celebrabat et consummabat; juvenes autem et virgines utrique adventanti honoris causa obviam prædibant, proferentes tædas pronubas, præsertim ex spina alba, easque quinque, teste Plutarcho in *Problema*. Vide Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.*, cap. v, et ibi Tiraquellum ac Salmeronem hic, tomo VII, cap. xxxviii. Judei autem non videntur olim habuisse usum cere ad lumina, cerearumque tædarum, sed olei. Unde in Scriptura crebro est mentio lampadarum et lucernarum, nulla candelarum, imò in candelabro templi erant lucernæ cum oleo, non candelæ ex cera vel sebo.

Sponsus tunc sponsæ comites dicit.

Jam ut parabolam particulatim applicem et explicem, sponsus est Christus, sponsa est Ecclesia, cujus in hac vita aguntur sponsalia, sed in futura resurrectionis gloria erunt æterna nuptie. Virgines sunt omnes fideles, sive Christiani, quia fide sinceri et integri, juxta illud Pauli : « Respondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo, » II Cor. xi, 2, ubi plura hæc de re dixi.

Porro S. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Augustinus et S. Gregorius, per virgines accipiunt solas et omnes quæ vere et proprie virgines sunt; sed hoc arctius est præ scopo et mente Christi, qui per virgines intelligit omnes fideles, ut dixi. Recte tamen Ecclesia in Officio divino hæc adaptat virginibus, quia illæ hic grammaticè nominantur, et ad litteram præ cæteris significantur. Ita Jansenius, Maldonatus et alii. Hinc B. Anatholia, desponsa Aureliano, vidit angelum sibi in clamantem : « O virginitas, quæ morte non vincitur. O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris, etc. Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans custodi sollicitè; quantumque te plus habere cognoscis, instantius custodi, ne perdas. » Quibus verbis ipsa incitata generosum pro virginitate obit agonem. Ita Ado in *Martyrologio*, ad diem 29 decembris.

Decem numerantur, quia denarius multitudinis et universalitatis est symbolum, ac familiaris est S. Scripturæ ob decalogum legis divinæ, ut patet *Gen.*, cap. xxxi, vers. 7; *Levit.*, cap. xxvi, vers. 26; *Num.*, cap. 22, vers. xiv. Ita Origenes, S. Hieronymus et alii.

Arithmetica et symbolica ratio liquet ex Platone, lib. V *De Legibus*, ubi docet solere quinque amicos et quinque amicas convocari ad convivium nuptiale, eo quod quinarium sit numerus compositus ex primo pari, puta ex binario, et ex primo impari, puta ternario (nam duo et tria faciunt quinque), ideoque apposite significat conjunctionem maris et femine, quæ fit in nuptiis sponsi et sponsæ.

QUE ACCIPIENTES (Græcè λαβούσαι, id est cum acciperent) LAMPADES SUAS — nuptiales « accensas, inquit Origenes, sed ad tantum iter obviam exeuntem sponso oleum non accenderunt, ut eas perpetim accensas conservarent. » « Nam quæ lampades suas queruntur extinguunt, ostendunt eas ex parte lucere, » ait S. Hieronymus.

Porro, in Scriptura *lappidim*, id est lampades, vocantur faces et tædæ. Hæ enim in nuptiis noctu præferuntur sponso et sponsæ, quia hæ resistunt aeri et ventis, cum lampades, id est lucernæ statim iis extinguantur. Hic tamen fuerunt lampades proprie dictæ, quia olei fit mentio,

Lampades proprie dictæ, quia olei fit mentio,

atque hæc sunt virginum, sicut tædæ virorum Unde Virgilius, *Ecoleg* IV :

Morse, novas lucide faces, tibi ducitur uzor.

Idem, lib. IV *Æneid.* :

Si non pertasum thalami tædæque fuisset.

Martialis, lib. XII

Præluxere faces, velarunt flammea vultus.

Catulus, in *Epithalamio Manlii et Julii*, ubi ait :

Pelle hunc pedibus, manu spineam quate ledam.  
Tollite, o pueri, faces.

Plinius, lib. XVI, cap. xviii, sic ait : « In eosdem ritus comitatur et spina, nuptiarum facibus aspiciatissima, quoniam inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas, ut auctor est Massurius : nunc facibus carpinus et corylus familiarissimæ. » Plura vide, si libet, apud Alexandrum ab Alexandro, Tiraquellum, Giacomum, ac fusa doctæ apud Brissonium, lib. *De Ritu nuptiarum*.

2. QUINQUE AUTEM EX HIS ERANT FATUÆ, ET QUINQUE PRUDENTES. — « Fatuæ, » quia imprudenter et stulte egerunt : nam cum obviam irent sponso cum accensis lampadibus, neglexerunt oleum necessarium ad fovendum lumen lampadarum; unde lampades earum extinctæ fuere, et ipsæ confusæ sine lumine in tenebris occurrerunt sponso : prudentes vero acceperunt oleum; unde accensas semper tenere lampades, cum eisque sponso obviantes : prudenter ergo se gesserunt. Hinc sequitur :

3. SED QUINQUE FATUÆ, ACCEPTIS LAMPADIBUS (ac- Vers. 2. censis), NON SUNT SERUNT OLEUM SECUM

4. PRUDENTES VERO ACCIPIERUNT OLEUM IN VASIS Vers. 4. SUI (oleariis) CUM LAMPADIBUS. — Primo, S. Hieronymus et Hilarius per « virgines » accipiunt omnes homines; per « fatuas, » Judæos et hereticos; per « prudentes, » Christianos.

Secundo, ex adverso S. Chrysostomus et alii jam citati solas proprie dictas virgines accipiunt : ex quibus prudentes sunt, quæ cum virginitate habent oleum charitatis, excrendo opera misericordie; fatuæ, quæ hoc oleo carent.

Tertio, Lyranus : « Virgines prudentes, inquit, Tertio. sunt contemplativi et religiosi, qui habent oleum charitatis et rectæ intentionis, qua uni Deo placere student; fatuæ vero sunt qui oleo hoc carent, ac vanam hominum laudem et gloriam aucupantur. »

Quarto et genuine, « virgines » sunt quilibet Quarto. fideles; « prudentes, » illi qui habent fidem cum operibus misericordie, charitatis aliarumque virtutum; « fatuæ, » qui solum fidem habent sine bonis operibus. Ita Origenes, S. Hilarius, Auctor *Imperfecti*. Unde harum lampades extinguuntur, imo ut Syrus vertit, *extinctæ sunt*, juxta illud Jacobi, cap. II : « Fides sine operibus

et secundo.

Applicatio totius parabola.

mortua est. » Lampas ergo est mens fidelis, sive ipsa fides, ut voluit S. Hieronymus, Hilarius, Origenes; oleum sunt bona opera, sine quibus fides est mortua et quasi extincta, cum iis vero viva et accensa; lux sive ardor lucernarum est charitas, hæc enim alitur studio bonorum operum, sicut flammæ lampadarum alitur oleo; vas est conscientia vel anima fidelis: atque hæc de causa moribundis candelam ardentem in manus damus, significantes vel optantes ut habeant fidem cum operibus, ut quasi sponse cum lampade accensa Christo Domino, quasi sponso, decenter digneque occurrant.

Symbolice et physice, nuper Philosophus quidam Genæ scripsit librum de hac Christi parabola, in quo illam sic explicat: « Beatitude, ait, consistit in hoc, quod sponso copuletur sponse, id est intellectus agens patienti, post intellectionem omnium rerum materialium, admittis quinque prudentibus virginibus, id est quinque sensibus internis habentibus lampades, id est sensoria organa in cerebro, et oleum, id est objecta rerum sensibilibus, exclusis quinque fatuis, id est quinque sensibus externis non illustratis, propter objectarum rerum absentiam. »

Verum hæc sunt acamina philosophica, quæ longe absunt a mente Christi, ac ex Gnosticorum somnibus manarunt, teste Tertulliano, lib. *De Anima*, cap. XXVII, ubi sic ait: « Hinc enim arripiunt (Gnostici ex ideis Platonis) differentiam corporalem sensuum et intellectualium virium, quam etiam parabole decem virginum attemperant, ut quinque stultæ sensus corporales figuraverint, stultos videlicet, quia deceptui faciles; sapientes autem intellectualium virium notam expresserint, sapientium scilicet, quia contingentium veritatem illam arcanam et supernam, et apud plerumque constitutam, hæreticarum idearum sacramenta: hoc enim sunt et *αιωνες*, et genealogie illorum. »

8. MORAM AUTEM FACIENTE (Græce *ἡσυχία*, id est tardante) SPONSO, DORMITAVERUNT OMNES ET DORMIERUNT. — Mora Christi sponsi est tempus penitentis et honorum operum, quod singulis in hac vita concedit, ideoque differt mortem diemque iudicii; dormitare est mori, dormire est mortuum esse; *g. d.* Dum differt Christus diem iudicii, interim fideles sensum mori ceperunt, ac tandem omnes mortui sunt. Ita S. Hilarius: « Mora sponsi, ait, penitentis tempus est, expectantium somnus, credentium quies est, et in penitentis tempore mors temporaria universorum. »

6. MEDIA AUTEM NOCTE, CLAMOR FACTUS EST (Arabicus, *mediata est nox, et exclamavit vox*, emissa a preuentibus sponsi comitibus, dum is ex domo sponse deducens illam, domui suæ appropinquavit): ECCE SPONSUS VENIT, EXITE OBJIAM EI. — Clamor hic significat tubam Archangeli suscitantis mortuos a sepulchris, de quo cap. præced.,

vers. 31. Ita Origenes, S. Chrysostomus, Hieronymus et alii.

Huc alludens S. Laurentius Justinianus, primus Patriarcharum Venetorum, jam moriturus: « Hactenus, inquit, filii, per jocum res acta est, jam serio agitur. Prope est sponus, eundem ei obviatur. » Et sublatis in cælum oculis: « Venio, ait, ad te, bone Jesu, etc. Hunc diem semper ante oculos habui: tu scis, Domine, » ac mox hilari mente et vultu purum Deo spiritum reddidit, obviam iturum Christo in cælum. Ita habet Bernardus Justinianus ejus cognatus, testis oculatus, in Vita ejus, cap. x et sequent., quæ apud Surium extat tom. I.

Porro, ex eo quod clamor hic dicitur factus « media nocte, » S. Chrysostomus, S. Hieronymus et Euthymius probabiliter opinantur secundum Christi adventum ad iudicium fore media nocte, ut homines inopinatos et dormientes obruat, ideoque cap. præced., monuisse nos ut jugiter vigilemus, adeoque S. Hieronymus asserit hanc esse traditionem Apostolicam, atque ea de causa in Paschate olim, populum ante mediam noctem ex Ecclesia dimittere non licuisse, quia Christus sicut olim tempore mediæ noctis in Ægyptum ad eadem primogenitorum ac liberationem Hebræorum venit, *Ecod.* xi, 4, et *Sapient.* xviii, 14, ita pariter eadem ad iudicium universale venturus crederetur. Verum hæc res incerta est; unde alii æque vel magis probabiliter censent Christum mane venturum ad iudicium; ipse enim est pater lucis, ac iudicium palam in luce spectante toto mundo peraget, ne quis in tenebris furo, illusioni, fugæ, aut latibulo sit locus. Ita Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II, disput. I, sect. 10. Quod ergo ait « media nocte, » per catachresin idem est quod inopinate, inexpectate, hominibus non cogitantibus et quasi dormientibus, venit Christus iudex. Ita Origenes, S. Hieronymus et Chrysostomus. Rursum nocte vel sub auroram insonabit tuba Archangeli, fietque resurrectio, ac mox Christus ipso mane descendet ad iudicium.

7. TUNC SURREXERUNT OMNES VIRGINES ILLE, ET VEXI ORNAVÉRUNT LAMPADES SUAS. — *g. d.* Ad clamorem et tubam Archangeli, omnes fideles resurgent et solliciti erunt qua mente et conscientia pergant ad iudicium Christum, scilicet, ut ait Auctor *Imperfecti*: « Aspicient et discutient fidem suam, considerabunt opera sua, interrogabunt conscientias suas; » quia, ut dicit S. Augustinus, serm. 23 *De Verbis Domini*, « Nihil aliud est, coeperunt aptare lampades suas, quam parare Deo operum suorum reddere rationem. » S. Hilarius vero, cap. xxvii in *Matth.*: « Lampadum assumptio, ait, animarum est redditus in corpora, earumque lux, conscientia boni operis eluceat, quasi vasculis corporum continetur. »

Hoc lucernarum per visionem simbolo martyrii omen a Deo accipere S. Montanus ejusque

discipuli S. Cypriani, ut habent eorum acta apud Surium ad diem 24 februarii: quidam enim ex eis, cui nomen Reno, « in somno vidit produci singulos, quibus prodeuntibus lucernæ singule præferbantur; cujus autem lucerna non precesserat, nec ipse sequebatur. Et cum processimus nos, cum lucernis nostris, expectatus est; et ut nobis retulit, lætati sumus, fidentes nos cum Christo ambulare, qui est lucerna pedibus nostris, et sermo Dei, et continuo rapti sumus ad procuratorem, etc. » hæc ibi ad verbum.

8. FATUE (Arabicus, *insipientes*) AUTEM SAPIENTIBUS DIXERUNT: DATE NOBIS DE OLEO VESTRO, QUIA LAMPADES NOSTRE EXTINGUUNTUR. — Pertinet hoc et sequentia ad emblemam parabole; nam quoad rem per eam significatam, reprobi in die iudicii non petent oleum bonorum operum ab electis, utpote scientes eos id sibi tunc non daturus, nec dare posse; tunc enim quisque iudicabitur ab operibus quæ gessit in hac vita ante mortem. Inducitur ergo hoc emblemata, ut per illud notetur et culpetur sera reproborum penitentia, qui post mortem videntes terribile sibi Dei iudicium et damnationem imminere, sero dolebunt se in hac vita fuisse negligentes in studio virtutum, ac tum optare se fuisse diligentes, sed frustra, quia nec opera, nec opem electorum sibi poterunt comparare. Tunc enim nec tempus erit operandi, nec auxilium, aut subventio, vel oratio Sanctorum eis prodesse poterit, imo, ut ait Auctor *Imperfecti*, in tam horrendo iudicio nemo erit qui sibi satis confidat, satique honorum sperum habere videatur.

QUIA LAMPADES NOSTRE EXTINGUUNTUR. — Jam reuera erant extinctæ, quia mortui erant ipsi in statu peccati mortalis, ideoque non cælo, sed tartaro a Christo adjudicandi. Dicunt tamen, « extinguuntur, » quia in hac vita mentes eorum hominibus exterius per communem veræ fidei professionem, et communionem Sacramentorum specieque honestæ vitæ ardere videbantur; sed tunc, in morte scilicet et iudicio, iis omnibus evanescentibus, videbant illas extingui, ac omnino speciem et spem virtutis et salutis deperire. Ita S. Augustinus, serm. 23 *De Verbis Domini*: « Antequam, inquit, dormiret virginis illa, non est dictum quia exinguebantur lampades earum: quare tunc vrebant? quia non deerant laudes hominum; at coram sponso, id est iudice Christo, extinguuntur, quia Christus aminabit abscondita tebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo, I *Cor.* iv, 8, non ab hominibus; pigris vero et reprobis summa erit confusio. Unde addit S. Augustinus: « Quorum facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt, » hoc est « extinguuntur. »

Vox « extinguuntur, » significat charitatem, quæ est flamma lampadarum, id est mentium, a bonis operibus velut oleo; unde, iis subductis,

extingui, tum quia multa opera virtutum sunt a Deo præcepta, uti sunt omnia quæ continentur in Decalogo: si quis autem non impleat id quod præceptum est a Deo, sed illud violet, perdit Dei gratiam et charitatem; tum quia charitas sine exercitio bonorum operum marcescit et languet, sitque torpida, pigra et agra: unde facile, tentatione aliqua pulsante, homo labitur in peccatum mortale, quo charitas deperditur. Vis ergo securare tibi Dei gratiam, imo augere Dei amicitiam et charitatem? incumbere assidue bonis virtutum operibus; hisce enim continuo nutritur, roboratur, crescit, augetur charitas.

9. RESPONDERUNT PRUDENTES, DICENTES: NE FORTE NON SUFFICIAT (Arabicus, *non est nobiscum quod sufficiat*) NOBIS ET VOBIS; Ite POTIUS AD VIDENTES, ET ENITE VOBIS. — Emblemata est, ut dixi, pertinens ad elegantiam parabole, significans electos in die iudicii non flectentes miseria reproborum, nec eos ullo modo adjuvturos, imo nec adjuvare posse, quin potius tacite eis reproborum, quod tempus presentis vite datum a Deo ad bene operandum neglexerunt. Unde S. Augustinus, serm. 23 *De Verbis Domini*: « Non consuluntium, inquit, sed iridentium est ista responsio; non enim sapientes de suo erant, sed illa in illis erat sapientia, de qua scriptum est, *Pro.* 1, 24: *Quia vocati, et remissi, etc.; ego quoque in interioribus vestro rideo et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenierit.* Et S. Hieronymus hic: « Non possunt, inquit, in die iudicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevaré. » Addit Glossa Interlinearis: « Non avaritia hoc dicit, sed timore, quia in illo die testimonium cuiusque vix sufficiet sibi, nedom sibi et proximo. » Rursum, *g. d.* « Modo videamus quid vos adjuvet, qui vobis humanas laudes vendere consueverant. » Hæc Interlinearis est S. Gregorio, hom. 12 in *Evangelium*, qui addit: « Venditores quippe olei adulatores sunt. Qui enim accepta qualibet gratia, vanis sui laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt. De quo profecto oleo Psalmista dicit: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* »

10. DUM AUTEM IRENT EMERE, VENIT SPONSUS; ET QUÆ PARATÆ ERANT, INTRAVERUNT CUM EO AD NUPTIAS (Syrys, in *domum chori*; in nuptiis enim sunt chori cantantium et tripodantium), ET CLAUSA EST JANEA. — Emblemata hoc quoque est, significans in hac vita bene agendi, penitentis et merendi esse tempus: hoc vero claudi in morte (tunc enim « in lectu oculi clauduntur omnia ») et claudendum fore in die iudicii: « Non enim post iudicium patet precum aut meritum locus, » ait S. Augustinus. Et S. Hieronymus: « Excesserat, ait, emendi tempus, nec adveniente die iudicii locus erit penitentia. » Et Origenes: « Qui, inquit, vxo debuerant utilia discere, neglexerunt, in exitu vitæ dum discere volunt, comprehenduntur a morte. » Additque: « Vendentes sunt doctores;

Tempus  
merendi  
claudi-  
tum.

emptio est acceptio; pretium, perseverantia, amor discendi et diligentia. » Porro, quia apud homines nuptiale gaudium est summum, hinc illi comparatur celestis electorum felicitas. Unde S. Hieronimus: « Nuptie, ait, immortalitatis assumptio est, » ubi, ait Interlinearis, anima Verbo Dei copulatur quasi Sponso.

Audi quid de S. Opportuna abbatisa narret S. Adelinus episcopus, in ejus Vita, apud Surium, die 22 aprilis: « Cum S. Opportuna graviter egrotaret, ad eam venerunt SS. Cæcilia et Lucia, ad quas illa blando sermone: Ave te, sorores Cæcilia et Lucia, quid præcipit ancille sue omnium regina virgo Maria? Expectat, inquit ille, adventum tuum in cælo, ut filio ejus conjungaris. Ita que ornata corona gloria et accensa lampade, debes obviare sponso et sponse. Igitur ipsa hilaris cum videret adventantem B. Virginem, quasi eam amplexans, in ejus manus tradidit spiritum æterna gloria beandum.

11. NOVISSIME VERO VENIUNT ET RELIQUÆ VIRGINES, DICENTES: DOMINE, DOMINE, APERI NOBIS. — « Dolo repulsiis compulsæ appellationem ingeminant dominationis, » ait S. Gregorius. Sed « quid prodest, ait S. Hieronymus, voce invocare quem operibus neges? » Significat ergo reprobum tum summe fore anxios et percussos, ut in omnem partem se versent, nunc summis precibus implorando misericordiam judicis, nunc deplorando negligentiam vite præterite, nunc desperando spem salutis. Ita Auctor Imperfecti: « Nihil eis proderit, ait, anxietas illa tunc incipientibus bene agere, cum tempus bene agendi concluditur. Nihil proderit ex necessitate repetita confessio ejus qui ex voluntate nec semel confessus est. » Lege patheticas reproborum voces et compilationones quas graphice depingit Sapiens, 1, 1 et seq.

12. AT ILLE RESPONDENS, AIT: AMEN DICO VOBIS, NESCIO VOS. — Id est, vos pro meis non cognosco, respeto, reprobo, damno; quia vos in die vestra nolulistis agnoscere me ut vestrum Deum et Dominum, nec ego vos in hac die mea agnosco ut meos fideles, servos et filios; servistis diabolo, non Deo, in voluptate; nunc servite illi in gehenna. Ita S. Hieronymus: « Novit, ait, Dominus qui sunt ejus; et qui ignorat, ignorabitur. » Et Interlinearis: « Ideo, ait, vos desero, quia per vite meritum non recognosco. » Et S. Chrysostomus: « Cum dixerit: Nescio vos, nihil aliud quam gehenna et intolerabilis cruciatus relinquitur: imo vero etiam gehenna istud verbum gravius est; » quia quem cœsit Deus hunc nescit cœlum, nesciunt Angeli, nesciunt Beati, sed scit diabolus, scilicet mors, scit gehenna, ad eum jugiter cruciandum. Adde: Christus a deo indignabundum et terribilem vultum in die judicii ostendit reprobis, ut dicant: « montibus: Cadite super nos et abscondite nos a facie sententis super thronum, et ab ira Agni; quoniam venit dies magnus ire

ipsorum, et quis poterit stare? » Apoc. vi, 10. Vide ibi dicta. Vox ergo Christi judicis erit quasi tonitru et fulmen, detonans æternam maledictionem in improbos, eosque detrudens in tartara.

13. VIGILATE ITAQUE, QUIA NESCITIS DIEM, NEQUE HORAM. — Arabicus et Syrus: *Quia non scitis illam diem, neque illam horam, scilicet extremam illam et æ ultimum momentum ex quo pendet æternitas vestra, vel beatissima, vel miserrima.* Hæc est epiparabola sive affabulatio, ostendens scopum, finem et fructum parabole, scilicet illam eo induci et dirigi, ut omnes fideles stimulet ad vigilantiam et studium honorum operum, quibus se comparent ad diem mortis et judicii, utpote instantem, sed incertum; *q. d.*, ait S. Hieronymus: « Quia ignoratis diem judicii, lumen honorum operum præparate. » « Nam qui penitentiam veniam spondit, peccanti diem crastinum non promissit, » ait S. Gregorius, hom. 12 in *Evang.* « Nescitis diem, neque horam, non modo ultimi illius temporis, ait S. Augustinus, serm. 22 De *Verbis Domini*, quo venturus est sponso, sed et sue quisque dormitionis diem et horam nescit. Quisquis autem paratus est usque ad somnum, id est usque ad mortem, que omnibus debetur, paratus invenietur etiam cum illa vox media nocte sonuerit, qua omnes evigilaturi sumus. » Vide dicta cap. XXIV, 42.

Sapienter R. Achabia in *Pirke Avoth*, cap. III: « Considera tria, inquit, ut non pecces: primum, unde venisti; secundum, quo vadis; tertium, qui redditurus es vite rationem. Unde venisti? ex materia fetida. Quo vadis? ad locum cineris et vermium. Cui reddes rationem? Regi regum, sancto et benedicto. » Sapiens S. Augustinus, hom. 13, inter. 50: « Promisit, inquit, tibi Deus, quoniam quo die conversus fueris, obliviscitur mala tua præterita, sed nunquam vitam crastini diei promisit tibi. » Et mox: « Deus diem mortis incertum salubriter constituit: diem ultimum suum quisque salubriter cogitet. Misericordia Dei est, quia nescit homo quando moriatur. Lateat ultimus dies, ut observentur omnes dies. » Nota ultimam hanc S. Augustini gnomen.

14. SICUT ENIM HOMO PEREGRE PROFICISCENS, VOCATIT SERVOS SUOS, ET TRADIDIT ILLIS BONA SUA, — scilicet opes suas et facultates, ut eas custodirent et negotiando angerent; supple ex præcedent: Sic erit adventus Filii hominis ad judicium. Tu enim » significat scopum parabole, scilicet Christum velle per eam probare id quod dixit vers. præced.: « Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. »

Scopus ergo parabole hujus est ostendere, quam exactam donorum suorum rationem exacturus sit Christus in die judicii ab otiosis, et quod quantumque præmium daturus sit ægotiosis, qui donis suis strenue ad Dei gloriam usi sunt. Similis est hæc parabola illi quam recenset Lucas, cap. XIX, 11, sed in nonnullis discrepat; alio enim

tempore, sine et modo dicta est a Christo. Illa enim Lucas dicta est ante Dominicam Palmarum, hæc vero post eam, scilicet feria tertia, que prævit feriam sextam, in qua Christus fuit crucifixus. Unde S. Chrysostomus, Euthymius, Jansenius et alii censent diversas esse has Lucas et Matthæi parabolas, vel potius unam diversimode repetitam: nam pro talentis Lucas habet minas, additque nonnulla, vers. 14 et 27, uti mox patebit.

Porro, homo hic est Christus. Christus enim profectus est peregre, cum in cælum ascendit, quasi longo tempore a terra et Ecclesia abfuturus. Ita Origenes, S. Hieronymus, Beda. Alii Christum peregre profectum interpretantur, quando a Judæis transtulit prædicationem Evangelii per Apostolos ad Gentes, ac apud eos regnum Ecclesiæ sue constituit. Nec male, præsertim apud Lucanum, cap. XIX, ubi hæc parabola inducitur apud Zachæum publicanum et quasi Gentilem, in cujus domum ingressus Christus, salutem ei attulit, relicti Judæis. Verum tunc tota parabola hæc servorum et talentorum ad solos Judæos arctanda est; talenta enim servis suis herus hic distribuisse dicitur antequam peregre (ad Gentes) proficisceretur. Quocirca prior explicatio uti amplior, ita et germanior est; servi enim hic omnes fideles intelliguntur, sive ex Judæis, sive ex Gentibus oriundi sint. Bona sunt talenta, de quibus vers. seq., sive quod herus hic, instar mercatorum et camporum omnes suas facultates habuerit in pecuniis, puta in talentis auri et argenti; sive quod talenta vocentur census et prædia, qua æstimabantur partim uno, partim duobus, partim quinque talentis; sicut a Latinis pecunie vocatur, quicquid pecunie æstimatur et comparatur. Unde et Græci vocantur *ἄξιμα*, id est opes, pecunie, quasi *ἄξιμα*, id est utilia. Sed prius est apud; nam, vers. 27, hæc talenta vocantur pecunia.

15. ET UNI DEDIT QUINQUE TALENTA, ALII AUTEM DUCO, ALII VERO UNUM: UNICUIQUE SECUNDUM PROPRIAM VIRTUTEM (Arabicus, *secundum facultatem suam*), ET PROPECTUS EST STATIM. — Pro « talentis, » Lucas habet, minas, id est minas: mina autem Hebraice, erit quod numeratum, sive definitum, scilicet pretium, vel pondus auri vel argenti; radix enim *ἴσλα* mana, idem est quod numeravit. Unde « mane, thecel, phares, » Daniel, v, 25. Mina Attica et Romana continebat drachmas centum, Hebraea vero drachmas 240, sive uncias 30, hoc est duas libras cum media. Dracma auri est coronatus Francicus; drachma argenti est julius Romanus, sive regalis Hispanus. Quare mina Hebraea auri continebat 240 coronatos Francicos: mina vero nti 240 julios sive regales. Talentum Atticum ebat sex millia drachmarum, id est minas 60. Talentum vero Hebraicum duplo erat continebat enim duo millia drachmarum.

hæc est mina Hebraea 60, Attica vero 120, minas libras 23. Libra auri continet uncias aut. 12, id est drachmas, sive coronatos Francicos 96. Talentum auri ergo apud Hebræos continebat duodecim millia coronatorum Francicorum; talentum vero argenti duodecim millia juliorum, sive regalium. Quare quinque talenta auri continebant sexaginta millia juliorum Francicorum, argenti vero sexaginta millia juliorum, qua faciunt sex millia aureorum Romanorum. Atticus enim Romanus continet decem julios: duo vero talenta auri apud Hebræos continebant 24 millia coronatorum Francicorum, argenti vero 24 milia juliorum, id est duo millia aureorum Romanorum. Vide ea que tractavi de mensuris, in me Pentateuchi.

Per talenta intellige quælibet Dei dona, sine quibus nihil operari possumus. Dona, inquam: *Primo*, gratia, tunc gratum facientes, uti sunt fides, spes, charitas, virginitas ceteraque virtutes; tum gratis data, uti sunt potestas faciendi miracula, apostolatus, episcopatus, sacerdotium, donum linguarum, discretio spirituum, prophetia, etc. *Secundo*, dona natura, uti sunt subtile ingenium, acere judicium, firma sanitas, robur, prudentia, industria, scientia, eloquentia. *Tertio*, dona et bona externa, uti sunt opes, honores, status, v. g. magistratus, principatus, regnum, etc. Ita S. Chrysostomus. Hæc omnia enim Deus, uti quinque, aliter duo, tertio unum, id est impariter et inæqualiter, pro libito distribuit, hoc sine, uti quinque is utatur ad Dei gloriam et suam aliorumque salutem: sic enim illa adaugebit, tum in se (omnis enim habitus per actuum exercitium crescit), tum in merito et premio. Addeatur enim illi coronæ et aureolæ celestes, v. g. virginitatis, doctoratus, martyrii. Porro, nullus est homo qui non unum aliquod, imo plura ex his Dei dona acceperit, sed alius plura, alius pauciora. Nam, ut ait S. Gregorius, homil. 9 in *Evang.*, « Nullus est qui veraciter dicat: Talentum minime accepi, non est unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine quilibet pauper etiam hoc ipsum reputabit, quod vel minimum acceperit. » Nullus enim majus Dei donum, et ad salutem uti- lium est paupertas quam opulentia, infirmitas quam sanitas, humilis status quam sublimitas. Exemplum sit in S. Paulo, S. Timotheo et S. Onesimo. S. Paulus enim quasi quinque talenta, id est dona, a Deo acceperit, scilicet donum linguarum, potestatem miraculorum, apostolatum, zelum animarum, efficaciam prædicandi; Timotheus vero quasi acceperit duo, scilicet scientiam Scripturarum et episcopatum Ephesinum; Onesimus vero unum, scilicet studium ministrandi S. Paulo Romæ incarcerato, per quod meruit plura alia, scilicet episcopatum Cellensensem, et multorum conversionem et martyrium, uti dixi in *epist. ad Philemon*.

Quæres, quomodo hæc talenta, sive dona sua

An Deus distribuit « secundum propriam ejusque virtutem? » Græce *δύναμις*, id est potestatem, robur et vires. Respondeo: Primo, hoc partim est emblemata, pertinens duntaxat ad elegantiam parabolæ. Sic enim apud homines solent prudentes heri bona sua dividere et credere suis servis, ut plura credant ei, qui majori pollet prudentia et industria; pauciora illi, qui minori. Nam certum est contra Pelagianos gratiam primam non dari secundum naturales vires et merita, imo nullam esse in natura dispositionem ad gratiam.

Secundo vero partim hoc per se et ad propositum, quia gratias gratis datas et status, ut magistratum, Episcopatum, Apostolatam, Sacerdotium, etc., sæpe Deus viribus naturæ contemperat, nec aliquem ad statum aliquem aut gradum eligit, nisi ei ferendo par sit et natura idoneus, aut quem ipse id eum faciat. Idem hominibus faciendum esse cum quem in Pastorem, Episcopum vel Praefatum eligunt, docet D. Thomas, II II part., Quest. LXIII, art. 2 et alibi. Imo cum Deus quodvis donum permanentis cupiam elargiri decernit, prius ei donat capacitatem, seu dispositionem proportionalem naturalem, vel supernaturalem, aut meritum quo ad hoc donum fiat idoneus, vel ad illud idonea se comparet. Sic Moysi dedit zelum suæ gentis, ut eo se diserneret ad illius præfecturam et ex Aegypto liberationem. Sic Paulo dedit zelum legis Moisaicæ, ut eo deinde purgato et castigato uretur ad propagationem legis Christianæ, uti docet S. Augustinus, lib. XIII *Contra Faustum*, cap. LXX. Sic Magdalenæ et S. Petro ingentem indidit peccatis contritionem, ut per illam ad ingentem sanctitatem eos diserneret. Sic quos Deus eligit et destinat ad virginitatem, religiosam vitam, martyrium, missionem Indicam, etc., prius vehemens illius desiderium eis ingerit, quo se ad illam aptent et præparent.

Denique S. Thomas, I part., Quest. LXII, art. 6, docet Deum angelis distribuisse dona gratiæ et gloriæ secundum dona naturæ: quare eos qui sublimiores sunt natura, sublimiores quoque esse in gratia et gloria. Additque idem subinde facere in hominibus. Aut enim: « Hoc autem etiam in hominibus contingit, quia secundum intentionem conversionis in Deum, datur major gratia et gloria. » Sæpe tamen Deus facit contrarium, ut idiotis, rudibus, vilibus et abjectis, majora det dona gratiæ, quam litteratis, ingeniosis, honoratis, opulentis, uti dedit S. Francisco, S. Catharina Senensis, S. Simeoni Stylite et pluribus similibus. Simili modo subinde Deus distribuit dona gratiæ gratis data, ob arcanam suam consilia et judicia. Multi enim præsent, ait Franciscus Lucas, qui minime digni aut idonei sunt: nulli sunt sacerdoti inepti, etc. In nullis tamen natura ejusque dotes sunt meritum, vel dispositio ad gratiam.

Ergo ex hoc Christi dicto non sequitur « singulis conferri Dei dona secundum meritum sui mo-

dum, » quod Calvinus Catholicis hic per calumniam affingit: aliud enim est natura capacem esse donorum Dei, aliud mereri dona Dei; aliud posse habere charitatem, aliud habere charitatem, quemadmodum docet Prosper, lib. II *De Vocatione Gentium*, cap. II, ubi illud « secundum propriam virtutem, » interpretatur, « secundum propriam et naturalem possibilitatem; » Sicut et aliud est esse habilem aptumque ad accipiendum Dei dona, aliud ea mereri.

ET PROPECTUS EST STATIM. — *g. d.* Christus a Judæis abiit ad Gentes, aut potius in cælum, ut dixi. Addit Lucas, cap. XIX, 43, Christum, antequam abiret, partitis in servos suos mnas, vel talentis, dixisse: « Negotiamini dum venio, » ut scilicet talenta hæc mea strenue per totam vitam laborando adaugeatis, et eorum lucrum mihi cõferatis cum ego ad judicium redibo; ac mox subijcit: « Cives autem ejus oderant eum, et miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. » Cives Christi sunt Judæi qui noluerunt hunc, scilicet Christum, agnoscere pro suo rege et Messia, cum coram Pilato clamarent: « Non habemus regem nisi Cæsarem, » ideoque Christum ad crucem postularant. Rursum cum post mortem et resurrectionem Christi, ejus Apostolos et Christianos regnum Christi predicantes et propagantes, et plagis et litteris contra eos scriptis, quas per totum orbem sparserunt, persecuti sunt. Unde de justis eorum castigatione subdit Lucas, vers. 27, Christum dixisse: « Veruntamen inimicos meos, qui noluerunt me regnare, adducite huc, et interficite ante me. » Fecit hoc Christus, cum Judæam vastavit, et Judæos occidit per Titum Imperatorem, magisque id faceret in die judicii, cum eos in gehenna æterna morte multabit.

16. ABIIIT AUTEM QUI QUINQUE TALENTA ACCEPERAT, ET OPERATUS EST IN EIS (PER EA), ET LUCRATUS EST ALIA QUINQUE. — Lucrari talenta, est dona Dei augere per eorumdem usum et exercitium maxime autem est per bona opera et auxilium proximorum, gratiam Dei in se et aliis adaugere et accumulare. Innuat hæc parabola quemque gratiæ Dei ex æquo et totis viribus cooperari et collaborare debere, ut, v. g., qui habet quinque gradus charitatis, eliciat actum ejusdem intensum ut quinque; sic enim lucrabitur alios quinque gradus, accipietque a Deo habitum charitatis intensum ut decem: cui si iterum ex æquo cooperetur, eliciatque actum charitatis ut decem, lucrabitur alios decem charitatis gradus, accipietque habitum charitatis intensum ut viginti: cui rursum si ex æquo collaborate eliciatque actum charitatis ut viginti, meretur et accipiet habitum charitatis intensum ut quadraginta, et ita consequenter assidue duplicando mira multiplicabit lucrum talentorum suorum, puta graduum charitatis. Esto ergo ipse paucos aut nullos sua charitate ad Christum predicandum converteret,

habebit tamen idem meritum et præmium prædicationis et charitatis suæ, perinde ac si multos converterisset; conversio enim aliorum sæpe non est in nostra potestate, meritum autem semper est.

Nota ex cap. XIV *Luc.*, vers. 46 et 48: eadem mina, id est idem græcus dracmus, in uno operatur et lucratur decem mnas, in alio vero quinque duntaxat, quia scilicet ille majori fervore, studio et conatu voluntatis, gratiæ cooperatus est, quam ille.

Porro, ex hoc versu et seq., colligunt Theologi Deum ex merito actionum nostrarum, habitus earum supernaturalis statim augere et intendere, etiam si actiones habitum a quo manant non superent: nam qui quinque talenta acceperat, operando lucratus est alia quinque.

Moraliter: S. Gregorius, homil. 9 in *Evangel.*: « Lectio Evangelii, inquit, sollicite considerare nos admonet, ne nos, qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescent donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad servitium promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatorem esse conspicit in reddenda ratione. »

17. SIMILITER ET QUI DUO TALENTA ACCEPERAT, LUCRATUS EST ALIA DUO. — *g. d.* hoc quoque studio et ex æquo talento, id est gratiæ suæ cooperando, illum duplicavit.

18. QUI AUTEM UNUM ACCEPERAT, ABIENS FODIT IN TERRAM, ET ABSCONDIT PECUNIAM DOMINI SUI. — Arabicus, *sepelivit argentum domini sui*. Defodera talentum, est ex negligentia et desidia gratia sibi a Deo collata non uti, non operari. Ubi nota defensionem hanc talenti tribui illi qui unum tantum accepit, non quod alii qui plura acceperunt, sæpe idem non faciant, sed ut intelligatur ex eo quod tam acriter a Domino exceptus et castigatus est, qui uno tantum talento abusus est, longe acriore fore Domini censuram et castigationem in eos, qui pluribus abutuntur et maioribus. Quocirca Paulus: « Exhortamur, inquit, vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, » II *Corinth.* VI, 1. Et: « Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, » I *Corinth.* XV, 10. Et: « Ne mihi est, si non evangelizavero, » ibidem, cap. IX, 16.

Notent hoc, qui ingenio, doctrina, prudentia aliisque dotibus sibi a Deo datis non utuntur ad sanam aliorumque salutem, ob desidiam vel metum peccandi, aliove simili de causa; ab his enim eorum rationem exactam repositis ostendat in die judicii. Adde eos qui pauca talenta acceperunt, sæpe per sacerdotum illa otiosa relinquere et quasi defodere: nam qui plura acceperunt, his stimulantur, ut his utantur; quare vel his recte utuntur ad meritum, vel abutuntur ad vanitatem, itaque puniuntur, non ob talentorum otium, sed abusus vanitatis. Ita fere videmus eos qui polent

magno ingenio, si eo ad honesta non utantur, ad inhonesta abuti.

19. POST MULTUM VERO TEMPORIS VENIT DOMINUS SERVORUM ILIORUM, ET POSUIT RATIONEM DOMINI IHS. — Hanc rationem et computum eum quilibet privatum inquit Christus in morte et judicio particulari cujusque animæ, publice vero inibit in diei iudicii universalis.

20. ET ACCEDENS QUI QUINQUE TALENTA ACCEPERAT, OFFULIT ALIA QUINQUE TALENTA, Dicens: DOMINE, QUINQUE TALENTA TRADIDISTI MIHI, ECCE ALIA QUINQUE SUPERLUCRATUS SUM. — Audi S. Gregorium, homil. 17 in *Evangel.*, patheticè hæc depingentem: « In illo tanto examine electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus, ostendet. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit. Ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducent. Ibi Andreas post se Achaïam, ibi Joannes Asiensem, Thomas Indiam in conspectum sui iudicis conversam docet. Ibi omnes Dimidioli gregis ardetes cum animarum lucris apparebit, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditum gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, et oves quas ex nutrimento nostro debebamus ostendere, non habemus? Ibi pastores vocati sumus, et ibi gregem non ducimus. »

21. AUT ILLI DOMINUS EIUS: EGREGI, SERVE BONE ET ALII ET FIDELIS, QUIA SUPER PAUCA FUISTI FIDELIS, SUPER MULTA TE CONSTITUAM; INTRA IN GARDIUM DOMINI TUI. — Lucas, cap. XIX, vers. 19, habet: « Et tu esto super quinque civitates. » Est parabola sumpta a rege, qui solet servos fideles remunerare gubernaculis plurimum civitatum. Significat autem per catachresim Sanctos, qui strenue uti sunt gratia sibi a Deo data, fore consortes gloriæ, regni et gaudii Dei, sed majoris vel minoris pro labore et meritis ejusque.

Notent Salmeron opinatur hic inuati taciteque promittit, quod Sancti certis locis, quibus in vita laboraverunt, in cælo a Deo prædicantur, ut ibi plus boni operentur, v. g., ut morbis medeantur, aliæque miracula patrent, quia hoc labore suo meruerunt. Sic S. Jacobus miracula patrat Compestelle et in Hispania, S. Dionysius Parisiis et in Gallia, S. Ambrosius Mediolani et in Italia, S. Bonifacius in Frisia et Germania.

22. ACCESIT AUTEM ET QUI DUO TALENTA ACCEPERAT, ET AIT: DOMINE, QUI DUO TALENTA TRADIDISTI MIHI, ECCE ALIA DUO LUCRATUS SUI.

23. AUT ILLI DOMINUS EIUS: EGREGI, SERVE BONE ET FIDELIS, QUIA SUPER PAUCA FUISTI FIDELIS, SUPER MULTA TE CONSTITUAM, INTRA IN GARDIUM DOMINI TUI. — Arabicus, *ardidit, et hæc sunt quinque talenta quæ lucratus sum, quasi ea servus hero ostendat et obtulerit*. Patet hæc ex dictis vers.



mas aris regiones undique per multa millia miliarum, usque ad caelos ipsos replebant, et immensi exercitus speciem præbebunt. Hæc erit majestas et gloria Christi ad gaudium electorum et terrorem reproborum.

Valde etiam credibile est demones quoque in corporibus assumpti, sed tetris, horridis et terrificis apparituros, vel quia aliqui ab impiis videri non possent, vel quia perinet ad Christi, qua homo est et judex, gloriam, et impiorum confusionem, ut videantur. Ita noster Leon. Lessius, lib. XII. De Perfect. divinâ, cap. XXII. Hæc ratione fiet, ait Auctor Imperfecti, « ut etiam mali ipsam conflanteur invitati, et qui contempserunt in humilitate, agnoscent in potestate. »

32. ET CONGREGABUNTUR ANTE EUM OMNES GENTES, ET SEPARABIT EOS AB INVICEM, SICUT PASTOR SEGRÉGAT OVES AB HÆDIS. — Id faciet per angelos quædam ministris suos, juxta illud, cap. XII, 49: « Tunc exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum. »

OMNES GENTES. — Id est omnes homines. primo Adam prognati, usque ad ultimum, cujus unigæ familie et gentis sint, quantumvis feræ et barbæ, etiam parvuli et infantes, licet de in antum causa et sententia hæc proprie non agatur, sed tantum de adultorum, qui suis bonis vel malis operibus caelum vel infernum promeriti sunt. Quocirca erunt tunc plurimi miliones hominum, quos omnes vallis Josphat non capit; quare tunc Deus montem Olivaram aliosque complanabit, ut locus sit qui capiat tot hominum myriades; reprobi enim omnes in terra consistent, Sancti vero præsertim illustres, ut Apostoli, ac viri Religiosi et Apostolici in aere atollentur, imo Christo judici assidebunt, Math. XIX, 28.

Porro, parvulos comparituros in die judicii, licet id neget Durandus in II, disp. XXXII, Quæst. III, valde est probabile. Primo, quia Christus omnium omnino hominum erit judex; ergo etiam parvulorum. Secundo, quia parvuli æque ac adulti resurgent, idque « in virum perfectum, » ut ait Apostolus, Ephes. IV, 13; hoc est, in ætate et statura virili: videbunt ergo et cognoscent omnes homines secum resurgentes sisti coram tribunalis Christi, ut ab eo judicentur. Tertio, quia multi ex infantibus per baptismum vel martyrium effecti sunt sancti et martyres, ut fieri innocentes occisi ab Herode: Hic ergo cum adultis audient a Christo: « Venite, benedicti Patris mei. » Quarto, quia infantes mortui in peccato originali per tot millia amorum, ubi venturum, erunt plurimi, ut Lessius, De Perfect. divinâ, cap. XXI, n. 143, putet numerum eorum fore mille miliones. Hic autem abscondi non poterunt; sed in terra resurgentes, comparebunt, videbuntque omnes secum resurgere et Judicari a Christo. Quare hi quoque segregati ab aliis, nam a Christo sententiam accipient, mediam scilicet inter adultos electos et repro-

bos: nam nec damnabuntur ad ignem generos, ut adulti reprobi; nec adjudicabuntur caelo ad videndum Deum, ut adulti electi.

SEPARABIT EOS AB INVICEM, SICUT PASTOR SEPARAT OVES AB HÆDIS. — Electos comparat ovibus, ob innocentiam, humilitatem, simplicitatem, modestiam, obedientiam, patientiam; reprobos hædis, quia hoc animal fetet, est asperum, inmundum, petulcum, lascivum, per præcipitia incedens, rixosum: quales sunt impij. Unde et in lege veteri, hædi quasi victimæ pro peccato offerri solebant.

Hujus separationis typus processit in separatione benedictionum in eos qui servant legem, et maledictionum in eos qui legem violant, facta a Mose in monte Garizim, Deut., cap. XXVII.

33. ET STATUET OVES QUIDEM A DEXTRIS SEIS, HÆDOS AUTEM A SINISTRIS. — Dextra enim symbolum est felicitatis, gloriæ, regni, vitiorum et triumphi; sinistra vero infelicitatis, opprobrii, servitutis, calamitatis et miseriæ. Addit S. Thomas: « A dextris, » inquit, id est honoratori et nobiliori loco, scilicet in aere consistent electi, inde mox in caelum cum Christo consensuri, juxta illud: « Raptemur in nubibus obviam Christo in aera, » I Thess. IV, 16. Reprobi vero erunt « a sinistris, » id est humiliori et viliori loco in imo terre, ut inde hiantæ terra absorbeantur in tartara.

34. TUNC DICET REX HIS QUI A DEXTRIS SEIS ERUNT: VENITE, BENEICTI PATRIS MEI, POSSEDIETE PARATUM VOBIS REGNUM A CONSTITUTIONE MUNDI. — « Venite, » de tenebris ad lucem, de servitute ad libertatem filiorum Dei, de labore ad requiem permanentem, de bello ad pacem, de morte ad vitam, de malorum societate ad Angelorum consortium, de agone ad triumphum, de solo et solo tantationum ad solem gloriæ et jugæ caelum gaudiorum æternorum.

Parati hæc verbum exaggerat S. Hippolytus martyr, tract. De Consum. sæculi, in fine, descendendo ad singulos Sanctorum ordines: « Venite, ait, Prophætæ, propter nomen meum expulsi; venite, Patriarchæ, qui ante adventum meum obtemperastis mihi, regnumque meum desiderastis; venite, Apostoli, mearum afflictionum participes, dum inter homines agerem propter Evangelium; venite, Martyres, qui confessi me coram tyrannis, tormenta multa atque supplicia perulistis; venite, Pontifices, qui pater mihi sacrificium die nocteque obulistis, ac pretiosum corpus et sanguinem meum immolastis quotidie; venite, Sancti, qui in montibus, in speluncis et cavernis terræ exercuistis vos, qui per continentiam, proces et virginitalatem servistis nomini meo; venite, adolescentule, quæ thalamum meum exoptastis, nec præter me sponsam alium dilexistis; qui per martyrium et pietatis exercitationem mihi immortalæ ac incorruptibilis sponse copulatæ estis; venite, qui dilexistis pauperes et peregrinos; venite, qui charitatem meam servastis, sicut sum ego charitas; venite, socii pacis, ego enim sum ipsa pax. »

Porro, prius Christus iudicat præmiatque electos, quam puniat reprobos: tum quia electi digniores sunt reprobis; tum quia Christi proprium est præmiare, alienum punire; tum ut reprobi « acris dolent videntes quid amiserint, » ait S. Bernardus, serm. 8 in Psal. xc.

REX. — Christus iudex habens in femore suo scriptum: « Rex regum, et Dominus dominantium, » Apoc. XIX, 16.

BENEICTI PATRIS MEI. — quos scilicet Pater meus cui appropriatur omnipotentia, imperium et prædestinatio, « benedixit omni benedictione spirituali in caelestibus, » per sanguinis mei meritum, Ephes. I, 3, scilicet quos ab æterno dilexit et prædestinavit, in tempore justificavit, nunc vero glorificabit; quibus dedit gratiam, bona opera, et in his perseverantiam usque ad finem vite, ideoque his pro meritis nunc premium caelestis gloriæ per me attribuit. Venite ergo, benedicti, terque quæte quo beati, quos Deus amavit et prædestinavit ante mundum, vocavit de mundo, mundavit et sanctificavit in mundo, nunc magnificabit post mundum, ut ait in Soliloquiis S. Augustinus

Judicium extremum an in medio tempore regendum.

Nota. Judicium Christi extremum non peragitur in instanti, sive in momento temporis, ut peragitur generalis omnium resurrectio, I Cor. XV, 52, sed aliquanto tempore durabit. Nam primo, fiet singulorum examen et conscientiarum apertio, qua Christus cuique hominum sua et aliorum omnium facta, per illuminationem internam patefaciet et revelabit, ac sententiam cuique suam pro meritis dicabit, facietque ut omnes videant illam in singulis esse æquissimam et justissimam, nec ullum exceptioni vel tergiversationi dari locum, ut ostendi Apoc. XX, 12, ac fuscè docet hic Abulensis, Quæst. CCCXXXIV et seq. « Fiet enim, ait S. Augustinus, lib. XX De Civit., Dei, cap. XIV, virtute divina, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala, in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celestia certentur, et mentis intuitu mira celestia certentur, et mentis intuitu mira celestia certentur, et mentis intuitu mira celestia certentur. » Hæc enim fiunt in tempore, sed per brevi. Deinde generaliter in omnes Sanctos, voce sensibili, ut videtur, profertur æternæ felicitatis sententiam, dicendo: « Venite, benedicti Patris mei, etc.; mox in reprobos æternæ damnationis fulmen detonabit, dicens: « Ite, maledicti, in ignem æternum, » etc.

POSSEDIETE. — Græce κληρονομαστὴν, id est hæreditate (Ita Arabicis) velut hæreditatem vestram occupate: « Si enim filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, » Rom. VIII, 17. « Quante gloriæ, ait Chrysostomus, quanto beatitudinis hæc verba sunt! Nec dicuntur: Accipite, sed: Hæreditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis a principio debebantur. »

PARATUM VOBIS REGNUM A CONSTITUTIONE MUNDI. — « Regnum, » puta caelum empyreum omniaque ejus bona, ut sunt visio et fruitio Dei, societas

Angelorum et Beatorum, dotes animæ et corporis, copia honorum omnium, non humanorum, sed divinorum.

A CONSTITUTIONE MUNDI. — Arabibus, ante constitutionem mundi, scilicet ab æterno. Significat caelum totumque mundum creatum esse a Deo propter beatos, ut ipsi in eo perpetuo beentur, gloriantur, regnent et triumphant. Porro, hæc gloria Sanctis parata et prædestinata fuit: Primo, ab æterno: ideo enim Deus ab æterno statuit condere Sanctos et mundum, ut ipsos in eo bearet omniumque honorum suorum consortes efficeret. Secundo, a creatione mundi; caelum enim empyreum mundamque creavit Deus hoc fine, ut esset sedes et regnum Beatorum. Quocirca S. Chrysostomus, homil. I in epistolâ ad Titum: « Ostenditur, inquit, ex his nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim atque ab ipsis initiis dilecti sumus. » Et hom. 34 in Genesim: « Vide bonitatis Dei excellentiam, quanta erga nostrum genus miserericordia usque sit, ut etiam jacta fundamenta mundi nobis regni celorum fructuone preparare dignatus sit. »

O quam suavis et beata electis accidet hæc vox Christi! quantis illi agent gratias! quomodo iubilabunt! Non dubium quin profundissima reverentia se demittant, ac prostrati vel genuflexi illum adorabunt, confitentur et exultantes se ejus sanguine et meritis ad tantam felicitatem evectos, ut patet Apoc., cap. V et VII, ubi videre est et audire eorum jubilos, devotissimam et epinicia qua Deo et Christo pleno ore et corde accinent.

Quocirca audita hæc Christi vox, conuvisus, imo martyr effectus est S. Aproniantus. De eo enim sic legitur in Martyrol. Rom., die 2 february: « Romæ via Salaria passio S. Aproniantus Comentarïensis, qui adhuc Gentilis, cum S. Sisinnio et carcere educeret, ut Laodicæ prefecto presentaret, vocemque et celo factam audiret: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi, credens baptizatur, et postea in confessione Domini finem vite capitali sententiam accepit. » Eadem voce audita S. Mechthildis moriens evocata est ad caelum, ut habet ejus Vita.

35. ESCRIVI ENIM, ET DEBISTIS MIHI MANUCARARE VOS. S. (SYRUS, QUOD MANUCARAREM); SITIVI, ET DEBISTIS MIHI BIBERE; HOSPEB ERAM, ET COLLEGISTIS ME. — In vestram domum, vel aliam hospitalem.

Nota: Christus hic unam speciem honorum Curioso operum, quibus Sancti æternam gloriam illis a Christo in iudicio decretam meruerunt, ponit: quod pro toto genere: tantum enim altero opera miserabilem, tum quia illa sunt quasi naturalia, et ubique sunt obviam, et ad commoditatem maxime pertinent; plurimi enim ubique sunt miseri; tum quia homines plebeii et vulgares magni illa faciunt, eo quod ad orationes, jejunia et alia subtiliora minus sunt idonei; tum quia ab eis nemo facile se excusari potest; tum ut ea nobis





operarii facti estis, hoc est diaboli. Possidete cum eo tenebras, atque ignem qui non exlinguitur, et vermem qui non dormit, ac stridorem dentium. » Et nonnullis interiectis : « Aureas vestras condidit, ut audiretis Scripturas, et vos parastis eas ad cantica demonum, citharas et ridicula. Oculos vestros creavi, ut perspiceretis lumen preceptio- rum meorum eaque exserueremini; ut ad vos ad supra, impudicities et ad reliquam immundi- tiam ipsos aperuistis. Os vestrum compositi ad glorificandum et laudandum Deum, et psalmos cantionesque spiritales pronuntiandis, lectionis- que continuam meditationem; at vos aptastis illud ad convicia, pejerationes et blasphemias, dum sedentes obtrebata proximo vestris. Manus vestras feci, ut ad preces et obsecrationes extenderetis eas; ut ad vos ad rapinas, caedes et mutuas occisiones expandatis, » etc.

Post istam hanc sententiam, illico Christus eos a se per daemones propellit in tartara, imo omnia elementa cum coelis in eos insurgent. Nam, ut ait Sapiens, cap. vi, 18 : « Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, etc. » et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibi directe emissiones fulgurum, etc.; exardescet in illos aqua maris, et flumina concurrent duriter. Contra illos flabit spiritus virtutis, et tanquam turbo venti dividet illos. » Vide ibi dicta.

QUI PARATUS EST DIABOLO (primo principi caeterorumque capit. puta Luciferi) ET ANGELIS (Arabibus, egyptiis) ERIS, — illi Deo superbe rebellanti consentientibus. Hinc patet ignem inferni primo et per se paratum fuisse a Deo demonibus, postea vero consequenter etiam hominibus, demonis factum et inobedientiam imitantibus. Porro, paratus fuit hic ignis a Deo ab eterno, post praesum Luciferi et demonum peccatum : tunc enim decrevit Deus illum condere ad ejus castigatio- nem et supplicium; in tempore vero paratus, id est conditus, fuit a Deo primo die mundi, mox ut Lucifer cum suis peccavit, ante creationem hominis, quae facta est die sexto, ut dixi Genes. 1, 4.

Modus quo ignis demonis cruciatur.

Porro, qua ratione ignis gehenne corporeus urat et cruciat daemones, qui sunt spiritus incorporei, velut instrumentum Dei ad hoc ab aptatum et elevatum, disputant Scholastici : vari enim varios modos assignant. Vide Scholasticos, III part., Quast. LXIV; item in II Sent., dist. 6, et in IV, dist. 50, ac nominatim Franciscum Suarez, lib. VIII De Angelis, cap. XII, num. 2 et seq., ubi docet ex Basilio ignem gehenne non lucere, sed torquere, non per solam imaginationem et apprehensionem falsam, nec per solam actionem intentionalem, sed per realem et physicam effici- entiam, qua demonibus imprimi qualitatem spirituum doloriferam, quae qualis sit hic concipere non possumus; nec enim potest eis imprimere calorem sensibilem, hujus enim spiritus non sunt capaces.

Syrus pro diabolo, vertit criminatori : hunc

enim significat Graeco *ματαιος*, et talis est Lucifer cum suis, qui homines etiam sanctos accusat, omniaque eorum opera, licet justa, criminatur et calumniatur coram Deo : unde ipse est diabolus, id est criminator, per antonomasiam. Hinc in Actis S. Montani et sociorum martyrum, apud Syriam, die 24 februarii, accusator et criminator martyrum vocatur diabolus; quia ejus partes agebat in tribunali iudicium infidelium, reos agendo eos qui Christum colebant. Vere S. Cyprilianus, lib. IV, epist. 2 ad Antonianum : « Quod, inquit, quaedam de illo (S. Cornelio Pontif.) in- honesta et maligna jactantur, nolo mireris, cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laeret, et opinionibus suis falsis glorio- sum nomen infamet, ut qui conscientiae suae luce clarescunt, alienis rumoribus sordiantur. »

42. ESURIVI ENIM, ET NON DEDISTIS MIHI MANUCARE; SITIVI, ET NON DEDISTIS MIHI POTUM;

43. HOSPER ERAM, ET NON COLLEGISTIS ME; NUDUS, ET NON COOPERAVISTIS ME; INFIRMUS, ET IN CARERE, ET NON VISITASTIS ME. — Tunc enim dat causam cur damnentur ad ignem paratum diabolo, quod scilicet, ut ait Euthymius, « imitati sint immissi- cordem inhumanumque diabolum. » Nam, ut ait Theophylactus, « compassionis expertes sunt diaboli, et hostiliter atque inimice erga nos affecti. » Damnantur hi ob omnia opera misericor- diae : tum quia ad haec obligatur quisque, cum videt proximum in extrema vel gravi necessitate constitutum quod saepe occurrit; tum quia ne- glexerunt alia peccata elemosynis expiare, juxta illud Danielis, cap. IV, 24, ad Nabuchodonosorem : « Peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiae pauperum. » Unde S. Augustinus asserit nonnullos sine elemosynis non posse salvari. Vide ibi dicta. Jam, « si tanta poena mul- tabitur qui non dedisse convinctur, ait S. Gregorius, quanta poena ferendum est qui redarguitur abstinuit aliena? » qui uxorem proximi violavit, qui famam vel vitam alteri abstulit, qui Deum et Sanctos blasphemavit etc.

Porro, singula verba habent emphasim et pec- culariorem ingratitudinem. Reprobis exprobrant. « Esurivi, » ego quis sua Deo, Dominus et redemptor vester, « et non dedistis mihi » id quod ego vobis dederam; « et manducare, » non perdis- cete et capones, quos vos manducavistis, sed panem cibarium, etc. « Singula, ait S. Chrysostomus, ad condemnationem illorum sufficiens : petitionis scilicet, facilitatis et dandi potestas, panis enim petitur; petentis miseria, quia pauper atque mendicus; retributionis expectanda magnitudo, regnum enim promittitur; terror pena- rum, gehenna enim incutitur; accipientis dignitas, Deus enim pauperum manibus accipit; honoris cumulus, quia tantum descendere digna- tus est; jus tribuendi, summa enim iustitia est de suis et concedere. Verum ab his omnibus cupiditate habendi retracti » Caetera dixi vers. 33.

44. TUNC RESPONDEBUNT EI ET IPSI, DICENTES : HOMINE, QUANDO TE VIDIMUS ESURIENTEM, AUT SI- TIENTEM, AUT HOSPITEM, AUT NUDUM, AUT INFIR- MUM, AUT IN CARERE, ET NON MINISTRAVIMUS TIBI? — Dicent hoc impii cogitatione, non locutione; non enim permittit Christus eos sententiae suae obloqui, quia conscientia propria eos condem- nabit. « Dicentes » arroganter, indignanter et desperabunde, quasi accusantes Christum iudi- cium falsitatis et iniquitatis. Unde Auctor *Inter- pretis* : « In iudicio, ait, stant, et peccare non cessant. »

45. TUNC RESPONDEBIT ILLIS, DICENS : AMEN DICO VOBIS, QUANDIU NON FECISTIS UNI DE MINORIBUS (SYRUS, *parvulis*) HIS, NEC MIHI FECISTIS. — Vide dicta vers. 40. Disce hic quanti faciendi sint viles et pauperes, praesertim Sancti, Religiosi et Aposto- lici, quos suos quasi suum peculium vocat hic Christus. Quocirca S. Franciscus quendam a suis detrahentem euidam mendico, dicentemque quod forte interius voluntate esset dives et mente su- perbus, acriter castigavit iussitque ut nudus flexis genibus ab eo veniam peteret. Causam addidit : « Non tam in pauperem, inquit, filii mi, quam in Christum peccasti. Etenim in pauperem tanquam in speculo Christus nobis obicitur. Quotiescumque ergo tibi pauperes aut infirmi occurrant, inopiam et infirmitates, quas pro nobis Christus dignanter assumpsit, pie considera et humiliter venerare. » Ita Waddingus, in *Annal. Minor.*, anno Christi 1215, num. 48. Vide eum- dem, anno 1216, num. 2, in fine.

S. Eli- gius epis- copus.

Christi exprobra- tio.

« Porro, hunc formidabilem iudicii extremi diem semper suos ob oculos obversari volebat S. Eli- gius, Noviomensis episcopus, qui floruit anno Domini 680 usque ad 665, quo vita functus est, teste Sigeberto in *Chronico*, tempore Clotharii, regis Francorum, et Martini I, Pontificis Romani. Unde Christus sic illo die impios compellaturum assererat : « Ego te, homo, de limo terre for- mavi manibus meis, et in paradisi deliciis imme- ritum collocaui; sed tu me et mea iussa contemp- nens impotenter sequi maluisti. Unde etiam iuste damnatus es. Sed tamen ego misertus tui carnem assumpsi, in terris inter peccatores habitavi, contumelias et verbera propter te pertuli; ut te eriperem a poenis, a aphos et sputa toleravi; ut tibi paradisi delicias redderem, aeternum felle mixtum hibi. Propter te spinis coronatus, cruci- fixus, lancea vulneratus sum. Propter te mortuus et in sepulcro positus, ad inferna descendi, ut te ad paradysum reducerem. Et quid ulterius facere debui, et non feci? » Unde Christus terri- bitem in eos sententiam subiungit : « Quae ergo vultis elegistis, ea nunc accipite. Contempsistis lucem, sint ergo vobis tenebrae. Amastis mortem, abite in perditionem. Secuti estis diabolum, ite cum illo in ignem aeternum. Quis tunc putamus, charissimi, maior erit, quis luctus, quae tristitia, quae angustia, cum haec fuerit prolata adversus

impios sententia? » Ita Audoenus, Rothomagensis episcopus, in ejus Vita, lib. II, cap. XVI. Extat apud Surium, die 1 decembris.

46. ET IBIUNT (Graeco *καταδύονται*, id est *obibunt*, scilicet a Christo, Deo, Sanctis, coelo, in tarta- ra) HI IN SUPPLICIUM (Syrus, *cruciatum*) AETERNUM; JUSTI AUTEM, IN VITAM AETERNAM. — « Supplicium » ignis et conremationis. Unde S. Augustinus, tract. 21 in *Joannem*, legit, « in ambustionem, » g. d. Amburentur in gehenna, sed non combu- rentur, nec consumuntur ut annihilentur, quod oplabunt damnati. Ibiunt ergo in ignem gehenne, quasi in suam domum et habitationem peren- nem, ut in ea jugiter ardeant. Sic vice versa dixit Christus servo fideli, vers. 21 : « Intra in gaudium Domini tui. »

AETERNUM. — Quia Deum aeternum gravissime offenderunt. Peccatum enim mortale, quia Deo immenso esse injurium, in se habet malitiam infinitam : meretur ergo supplicium infinitum. Verum, quia infinitum intensive dari nequit, nec ab homine sustineri, hinc dabitur reprobis poena infinita extensive, quae scilicet extendatur per omnia saeculorum saecula. Modum dat Lactantius, lib. VII, cap. XXI : « Idem, ait, divinus ignis, una eademque vi atque potentia et cremabit impios et recreabit, et quantum e corporibus absument, tantum reponet, ac sibi ipsi aeternum pabulum subministrabit, quod Poetae in vultum Tityi transfulerunt, ita sine ullo reviscens- tium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet. »

Haec est sententia Lactantii. Facillius et verius alii censent corpora damnatorum, Deo conserva- ta, in igne manere incorruptibilia, ita ut nihil partes consumantur, quae reparari debeant, sed omnes omnino eodem in igne jugiter arduentes perseverent in aeternum, sicut asbestus lapis, indeque confecta tela, in igne ardet, sed nullam sui partem perdit. Acerbitatem hujus supplicii graphice depingit Auctor libri *De Spiritu et Anima*, apud S. Augustinum, tom. III, cap. LVI : « Quo- propter, inquit, miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu : quia et mors semper vivet, et finis semper incipit, et defectus deficiere nescit; mors perimet, et non extinguit; dolor cruciabit, et pavorem non fugabit; flamma comburet, sed tenebras non dis- cutiet. Erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pavor, in combustionem dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi, in supplicio dolore sentient; et in doloris angustia pavore forentur; et semper tolerabunt, et semper timebunt, quia sine fine semper cruciati vivunt, sine spe veniendi » miseri- cordiae, quod est miseria super miseriam. Si enim post tot millia annorum quot capillos ha- buerunt omnes quicumque fuerunt aeternum, poenas suas finire sperarent, multo levius eas sustinerent; sed quia spem non habent, nec habebunt, despe- ratione deficient et ad tormenta non sufficient. »

Fuse de his dixerit hic Abulensis, qui et addit, *Quæst. DCLXXVIII et DCLXXIX* (tot enim præcise in hoc caput questiones conglomeravit), animus post mortem iturus in cælum, vel Purgatorium, vel inbum Patrum, eo deduci per angelos; iturus vero in infernum vel limbum puerorum, eo deduci per demones.

Audi S. Cyprianum, serm. *De Ascensione Domini*, sub finem: «Incorruptibiles flammæ, inquit, nudum corpus allambent: ardebit purpuratus dives, etc. In proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sarlagines et flammæ miserabilia corpora remabuntur.» Et in lib. *De Laudib. martyris*, cap. v: «Paradisus, inquit, Dei testibus floret, negatores gehenna complexa, æternus ignis inardescit.» Latius vero, cap. xii, idem exponit, dicens: «Seviens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmur et gemitu, et eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis expirat: globus ignium arcuatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, tum in se ipse convolvit, quidquid ardoris emissi eadem flamma cruciat.»

Prosper, lib. II *De Vita contemplativa*, cap. xii, ubi de damnatis agit: «Non videndi, ait, sensum habituri sunt, sed dolendi, quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus torquent animam, non extorquent; puniunt corpora damnata, non finiunt. Quos ideo ignis inextinguibilis sibi deputatos non extinguit, ut permanente sentiendi vita, pœna permaneat.»

Ex dictis meditari et imaginari licet, quam acerbum, mœstum et funestum sit futurum æternum hoc damnandorum a salvandis divortium, quo hi in cælum ad perennem felicitatem ascendunt, illi in gehennam ad perenne incendium descendunt, nunquam amplius Sanctos, licet

amicos, fratres, parentes, visuri in æternum: «chaos enim magnum firmatum est» inter utrosque, ut aiebat Abraham ad divitem epulone, in inferno ardentem, *Luc. xvi, 26*. Qui ergo sapit, quotidie ascende in cælum, et descende in tartara, ut hic tibi sit stimulus, ad fugam vitiorum et studium virtutum. Vere S. Chrysostomus, hom. 2 *in epist. II ad Thessal.*: «Nemo eorum, ait, qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidit; nemo gehennam contemnendum iudicium effugiet.» Et quia major hominum pars gehennam parum cogitat et quasi contemnit, hinc damnatur. Nam ut cœcivit, imo plaxit, S. Bruno, Carthusiæ fundator:

Sic vivunt homines tanquam mors nulla sequatur,  
Et velut infernus fabula vana foret.

Crebro horrorem iudicii et gehennæ suis lectoribus objicit graphicæque depingit S. Ephrem, præsertim tract. *De Compunctione, De Penitentia, De Iudicio*, etc. Idem facit doctor et predicator. Unde idem S. Ephrem, tract. *De Penitentia*: «Simus, ait, tanquam incodes: et si cedamus, non tamen cedamus,» dicentes cum S. Diethelmo apud V. Bedam, in *Histor. Anglorum*: «Asperiora vidi, deteriora in gehenna conspexi.» Sic quamlibet tentationem, persecutionem, infirmitatem, tribulationem, confusionem metu iudicii et gehennæ fortiter sustinebimus et superabimus. Graphicæ quoque horrorem diei iudicii describit Joel, II, 31, et Sophonias, I, 13, ubi plura hæc de re dixi.

IN VITAM ÆTERNAM. — Nominæ vitæ æternæ omnem sanitatem, omne robur, omnem honorem, omnem gloriam, omnem satiem, omnem voluptatem, omne gaudium, omnem bonorum omnium affluentiam accipe. Hæc enim gustant viventes in vera vita; nam qui in fame, siti, morbo, ignominia, dolore vivunt, non tam vivunt quam moriuntur assidue.

## CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo, describit unctionem Magdalena, qua ipsa unxit Christum in Bethania paulo ante mortem, cujus pretium ambiens Judas vendidit Christum. Secundo, vers. 17, enarrat ultimam Christi cenam et institutionem Eucharistiæ. Tertio, vers. 30, ejusdem passionem, scilicet orationem in horto, captivitatem, accusationem, condemnationem, colaphizationem, trinam Petri negationem, et mox penitentiam.*

1. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: 2. Scitis quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas; 4. et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. 5. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6. Cum autem

Jesus esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, 7. accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. 8. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? 9. Potuit enim istud venditari multo, et dari pauperibus. 10. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. 11. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. 14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum, 15. et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. 17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? 18. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. 22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? 23. At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29. Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. 31. Tunc dixit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. 32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. 34. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem. 37. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cepit contristari et mœstus esse. 38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate mecum. 39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 40. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuisti una hora vigilare mecum? 41. Vigilare et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 42. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. 43. Et venit iterum, et invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati. 44. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens. 45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. 47. Adhuc eo loquente, ecce Judas, unus de duodecim,